

Die Straff wurd täglich immer strenger,
 Er konte sie nicht leiden länger,
 Und solche Plagen mehr ertragen,
 Bat Gnad, und blieb so ungeschlagen,
 Wurd doch zum Lande ausgejagt,
 Hat seinen Fall sehr oft beklagt,
 Ja auch mit Thränen bey dem Essen,
 Da er an meinen Tisch geseſſen.

Iudicem autem huius levitatis expertus est Deum, siquidem,
 Ottio teste, luctuosa morte periit.

§. LV. Atque sic, opinor, satis superque de Fanaticorum
 constabit Palinodia. Plures potuissem commemorare, & in his
 Balth. Hubmeierum, Io. Gasserum, Facium Martpurgium, mul-
 tosque alios. Sufficiant vero haec, quae adduximus, exempla, ex
 quibus unusquisque facile iudicaverit, quae sint Fanatici indo-
 le. Animus erat observationes quasdam subiungere, quas tamen
 libenter aliorum ingenio relinquo, ne falcem videar in alienam
 messem immittere. Surgat, surgat tandem veritas, & de ini-
 micis in posterum triumphet. Reprimat ingenia fanatica, quae
 non bonis tantum literis, sed ipsimet etiam religioni, interi-
 tum minitantur. Haec votorum debet esse summa, inprimis
 hac nostra aetate, in qua a maleferiata horum hominum col-
 luvie, tantum non opprimimur. Verbo. Videmur in ista re-
 servati tempora, de quibus Lutherus, ut vates, dixit, in aureo
 Comment. in Ep. ad Gal. p. 341. *Vehementer miratur (Paulus)*
quod iam vere Deum cognoscentes per Evangelium tam cito revertan-
tur, seducti per Pseudo-Apostolos, ad infirma & egena elementa. Ut
& certe mihi mirum videretur, si nostra Ecclesia, quae Dei gratia pul-
cherrime instituta est in pura & sana doctrina & fide, una atque alte-
ra concione a FANATICO HOMINE quondam sic subverteretur, ut
me amplius doctorem suum agnoscere non vellet. Id quod aliquan-
do fiet, si non viventibus, tamen sublatis nobis. Tunc enim multi vo-
lentes esse Magistri surgent, QUI PRAETEXTU PIETATIS perversa
docebunt, & brevi subvertent omnia, quae nos, longo tem-
pore, & maximo labore, aedificavimus.

TANTVM.

Coll. diss. A. 29, misc. 60